

VI

ea nostris temporibus, propterea quod nescitur e quibus fontibus hausta sit, parum fidei habitura est; nisi forte ea excepteris, quae de postremis ante regnum constitutum ducibus, ut Arpade, Sultane, Toxi, Geyza, Stephani regis patre, relata legimus. Imperarunt hi duces genti ethnicae; sed qua potestate, in illis tenebris nemo definiuerit. Eorum postremus, Geyza, qui ab A. 970. ad A. 1001. Hungaris praefuit, curante Laureacensi praefule, Piligrino, Christianorum sacris iniciatus est, cum aliquot M. suorum; neque tamen regio titulo usus, quem ei perperam tribuit, in Kalendar. Eccles. vniu. T. IV. *Affemanus.* Sed de his satis; neque magnopere huc pertinent Duces isti.

Alia fuit ratio Hungariae Ducum *sub Regibus*, quos *Királyfia* (regis filium,) et *Kis-Király* (regem minorem,) adpellabant. Horum agmen dicit Stephanus, et ipse, ante quam inauguraretur, Dux dictus. Petro regnante, Endre Andreas et Leuente Duces Hungariae, *Thuroc.* II. 41. erant Ladislai calui, S. Stephani fratruelis, filii. Non fuere tamen vnius eiusdemque ordinis: etsi in vniuersum, ad Andreae I. tempora, non tam potestatis, quam dignitatis vocabulum fuit: alias *Duces regios*, alias *priuatos* dixerim. Quod ad REGIOS DVCES attinet, hoc est eos, qui essent e regum prosapia, certum est, antiquis temporibus, e regia domo Principes hoc nomine ornatos fuisse; ineratque ei OMEN REGNI, si vel unus esset, ut Stephani Emericus; vel inter plures natu maximus; vel regis improlis frater. Medio demum Saeculo XI. Andreas I, Petro Alemano interemto e Duce Hungariae Rex, adhuc caelebs, fratri Belae, Duci, certam regni portionem attribuit, propter quam deinceps inter reges et duces dimicatum saepenumero fuisse legimus. Adscribimus locum *Thurocii* II. 42. quod ducalis potestatis primam originem, simul et DITIONEM, quae Ducibus attributa esset, declarat. Ita vero ille: *Rex autem Andreas, fratre (Leuente) orbatus, misit in Poloniam, ad alterum fratrem suum, Belam, cum magna dilectione vocans eum —.*

His